



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis  
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia  
Dominicarum Totius Anni**

**Hartung, Philipp von**

**Egræ, 1689**

Problema XVII. Præstétne Viduam nubere? Dominica XV. Post  
Pentecosten. Et hæc Vidua erat. Luc. 7. v. 12.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)





# PROBLEMA XVII.

Præstétne Viduam nubere?

## DOMINICA XV. POST PEN- TECOSTEN.

*Et hæc Vidua erat. Luc. 7. v. 12.*

§. I.  
Viduas  
DEus cu-  
ræ habet.



Quàm cordi DEO sint viduæ, utriusque testamenti paginæ loquuntur. Exod. 22. v. 22. præcipitur: *viduæ & pupillo non nocebitis, si læseritis eos, indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio. Isaia 1. v. 17. defendite viduam. Jerem. 22. v. 3. viduam nolite contristare. quod si non audieritis verba hæc, in memetipso jura vi, dicit Dominus, quia in solitudinem erit domus hæc. certissima reproborum nota est tessera illa: non parcamus viduæ Sap. 2. v. 10. hos enim manet illa maledictio DEI Deut. 27. v. 19. maledictus qui pervertit iudicium viduæ, & dicit omnis populus Amen. & Jobi. 24. v. 20. & 21. obliuiscatur ejus Misericordia, dulcedo illius vermes: non sit in recordatione, sed conteratur quasi lignum infructuosum, cujus causa additur: Viduæ bene non fecit, en quot minæ & imprecationes adversum eos, qui viduas fovere negligunt. Nimirum Judicem viduarum se vocat Altissimus Pf. 67. v. 6, benefactorem earundem se appellat Pf. 132. viduam ejus benedicens benedicam. patronus quoque futurus promittitur Pf. 145. v. 9. pupillam & viduam suscipiet. DEum æmulatus piissimus Job hoc*

sibi summo solatio extrema ducit in calamitate: *cor viduæ consolatus sum c. 29. v. 13. ut divinam exoreret clementiam Juditha, hoc solum allegat motivum, quod vidua sit: subveni quæso te Domine DEus mihi viduæ Judith. 9. v. 3. non allegat calamitatem populi, periculum urbis, interitum gentis, sed viduitatem suam, ut DEum commoveat ad pietatem. non parva vis lacrymarum viduæ est, inquit Chrysostomus homil. 69. in Joann. sed ipsum cælum possunt aperire. Maximam viduarum curam in lege gratiæ DEus Homo ostendit, qui à vidua Anna die quadragesimâ à nativitate sua in templo suscipi, ejusdemque viduitatem in annales suos referri voluit: & hæc vidua erat usque ad annos octoginta quatuor Luc. 2. v. 37. & viduæ minuta duo in templo oblata omnibus ceterorum donariis quantumvis largissimis prætulit Marci. 12. v. 40. & Luc. 21. v. 2. vidit autem & quandam viduam pauperulam mittentem æra minuta duo, & dixit: verè dico vobis, quia vidua hæc pauper plusquam omnes misit. hodiernæ quoque viduæ ultrò miseratus est, lacrymâsque terfit: noli flere, & filium defunctum vitæ restituit: dedit illum Matri suæ, cum tamen ad profusas aliorum preces, ipse*



ipſius etiam Marthæ Virginis & Magdalenæ poenitentis reſuſcitati-  
onem Lazari aliâque beneficia di-  
ſtulerit. Quapropter gentium  
Doctor Epifcopo Timotheo præ-  
cepit, *viduas honora*, quaſi aliquid  
ſupra Epifcopatum habeant ho-  
noris viduæ; & Jacobus Apoſto-  
lus Summam ſynceræ pietatis ad-  
ſtruit: *viſitare viduas* c. 11. v. 27.  
ex quibus tot tantisque obiter in-  
ſinuatis viduarum prærogativis du-  
bitare venit in mentem, utrum non  
ſatius ſit viduam in viduitatis ſuæ  
ſtatu contra quaslibet carnis mundi  
ac dæmonis infeſtationes perdura-  
re, an verò ad ſecundas tranſire nu-  
ptias. quod dum breviter diſputo,  
ſecundis animis audiri percipio.

## §. 2.

Argumen-  
ta pro Se-  
cundis nu-  
ptiis.  
1. Cor. 7. v.  
39. ib. v. 9.

Secundas nuptias qui dam-  
nant, hæretici ſunt, damnati ſuo  
cum authore Montano ab Eccleſia  
Catholica & anathemati ſubjecti,  
cum ſecundas nuptias non modò  
permiferit, ſed præceperit aliquan-  
do DEus, quando videlicet defuncti  
fratris conjugem à fratre ſuperſtite  
duci mandavit Deut. 25. v. 5. Licen-  
tiam nubendi cuilibet viduæ pro-  
mulgat Paulus: *cui vult nubat*, imò  
hoc melius quandoque fore pro-  
nuntiat: *melius eſt enim nubere, quam  
uri*. Certè ſi viduitas à Divo Am-  
broſio I. de vid. agris feriantibus  
poſt redditos novalium fructus  
comparatur, non decebit agrum e-  
juſmodi perpetuò ferari, ſed legi-  
timis ferendis fructibus poſtlimi-  
nio aptari, nè Zizania ſuperſeminet  
homo inimicus. habent enim verò  
viduæ non unum inimicum, ſed le-  
giones integras dæmonum, & qui  
dæmone pejores ſunt, hominum,  
qui cum illecebris, tum continuis  
quaſi afflictionibus viduas perfe-  
quantur, donec in ruinam impel-  
lant. *quid tibi neceſſe eſt*, inquit S.  
Hieronymus ep. 47. *in ea verſari  
domo* (dicam ego in ea permanere

vitæ conditione) *in qua neceſſe habe-  
as quotidie aut perire, aut vincere?*  
& ep. ad Vigil. *nolo ſpe pugnare vi-  
ctoriæ, nè perdam aliquando victori-  
am*. ſit excellentior viduarum Sta-  
tus quàm conjugum; at periculoſi-  
or ille præiſto eſt. navigat enim vi-  
duitas inter Scyllam & charybdim,  
illecebras videlicet blandientium  
& furias perſequentium, inter quas  
ſi non naufragetur aliquando, pro-  
pe abeſt à miraculo. De viduis il-  
lud Creatoris Dei intelligo: *non eſt  
bonum hominem eſſe ſolum*. & væ il-  
lud, quod ſolitudini Salomon inten-  
tavit, de viduitate accipio: *væ ſoli*  
Eccle. 4. v. 10. Incarnata Sapientia  
in comitatum ſuum conjugatas ad-  
miſit teſte Matthæo c. 27. v. 55. *quæ  
ſecuta erant JESUM à Galilæa mini-  
ſtrantes ei*, à Virgine Deipara &  
Martha alimenta ſuſcepit, nuſpiam  
autem ullius mentio ſit viduæ, quòd  
Chriſtum habuerit alumnum, for-  
taſſè nè glorioſæ viduitati majoris  
excellentiæ occaſio præberetur.

Hæc potiffimùm ſunt, quæ  
ſubtiliùs quàm ſolidiùs adverſus  
viduitatem jaçtari poſſunt, unico  
tamen diſſianda halitu, ſi dicamus  
cum Apoſtolo Spiritum DEI habente:  
*dico autem viduis* (quidquid  
contradicant adverſarii) *dico au-  
tem viduis: bonum eſt illis, ſi ſic per-  
maſerint* 1. Cor. 7. imò unaquæque  
vidua *beatior erit, ſi ſic permaſerit*.  
Nulla ſola eſt vidua, habet enim, ut  
dicemus ſponſum JESUM, qui cum  
iſta eſt in tribulatione, eodèmq;  
in lectulo Crucis accubat, & lævam  
ſuam ſupponit viduæ capiti, dex-  
trâ autem amplexatur & ſtringit.  
Nullus furiarum turbo, nulla favo-  
riorum illecebra viduæ nocebit, ſi  
ex conſilio D. Hieronymi ep. ad  
Fur. mortem ſeriò meditata fuerit,  
& ſolitudinem turturis æmulata:  
*cogita te quotidie eſſe morituram, &  
nunquam de ſecundis nuptiis cogita-  
bis*.

§. 3.  
Viduitas  
Conjugio  
præſtan-  
tior.



bis. Verum ad viduitatis laudes fufius prosequendas progrediamur.

§. 4.  
Viduas Altari confert S. Ignatius, Sponsas Christi vocat Theophylactus.

Mira est illa D. Ignatii Martyris parænesis in honorem Viduitatis descripta epist. 7. quâ fideles adhortatur, ut Virgines honorent pro Sacerdotibus, Viduas verò pro altaribus: *eas quæ in Virginitate degunt in pretio habete velut Christi Sacerdotes: viduas in pudicitia manentes velut altare DEI.* cur Viduæ altari comparantur? quia res Deo sacra est, omnique superior æstimatione; *res enim sacra* ut Jurisconsultus de Senat. l. 9. loquitur, *non accipit æstimationem.* Altare à D. Isidoro quasi *alta res* dicitur; alta res est viduitas, quæ thronum DEI petit, oculos supremæ Majestatis illicit, cor divinum ad se attrahit, ita ut Patrem orphanorum & Judicem viduarum se gaudeat appellari. Altare legis veteris ex lignis Sethim fabrefieri Deus iussit: *facies Altare de lignis Sethim* Exod. 22. v. 1. quia hæc ligna corrumpi non solent, comburi non possunt, ita vidua si verè vidua est carnali putore corrumpi se non patitur, ignes veneros minimè admittit, quia tanquam ara DEO acceptissima perpetuum divini amoris alit ignem. non solæ Virgines Sponsæ Christi sunt, gaudent & viduæ hoc honore: *vidua Christum Sponsum habet, perinde ac virgo*, inquit Theophylactus in I. Tim. 5. fortè magis quàm virgo Sponsum meretur Christum, vidua, tanquam dolorum ejus magis confors, ideòque dignior amore, quia plus philothesii illius calicis, ex quo pro mensura amoris amaror propinatur, participant.

§. 5.  
Status viduarum regius.

Viduæ Solymæorum Regina scribens consolatoria Bernardus ep. 289. non minùs eam gaudere jubet ex statu viduitatis, quàm ex statu re-

gio: *puto quòd Gloria tibi est inter Christianos, non minùs vivere viduam quàm Reginam.* pari passu vidua ambulat cù Regina. hæc legibus marti non subjacet, illa libera est à lege viri Rom. 7. v. 3. hæc gubernat regnum, illa animum, coronatur diademate Regina, ad coronam evocatur vidua: *veni Sponsa Christi accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum.*

De septima ex Hyadibus (quas septem sorores & sex quidem nupsisse diis, ultimam verò mortali fingit fabula) de septima inquam Hyadum scribit Hyginus c. 192. quòd idcirco non observetur, & minutos habeat splendores, quia ex imparibus nuptiis erubescit: *conjecturatur erubescere, quia mortalem virum accepit, cùm ceteræ DEOS habeant.* erubescant omnes illæ viduæ, inque pudoris tenebras se recondant, quæ divinum Sponsum repudiant, ut terrestri denuò se jungant. Ablatus morte præpropera ideo maritus est, quia Zelotes animarum Sponsus à viduis solus vult amari, inque demortui affectus Sponsi ex integro succedere. cur ergò hunc solum unicè non amant, & cum Sanctis Viduabus Hedvige, Elisabetha, Brigitta, exclamant: *sola relicta solum DEUM amo!*

Habet hoc Viduitas 'ut profusus super marito mortuo lacrymis pristinos fucos & pigmenta, quibus se velut altera Jezabel depinxerat, feliciter diluat, itaque faciem suam ad pristinam reducat formam, ad quam condita à DEO fuerat, prout S. Hieronymus ad Salvinam viduam scribens adnotavit: *Litam purpurisso & ceruis à faciem super feretrum mariti lacrymis diluisti*, at verò si ad secundas transire velint nuptias, faciem denuò deturpare, & DEO Angelisque invisam reddere debent,

§. 6.  
Cur vidua atrata.



bunt, quo pacto dæmone ipso deterioribus esse manifestè convincuntur, qui deformis cùm sit, in Angelum lucis se transfiguratur, at verò secundò nuptæ faciem à DEo acceptam devenustantes in angelos tenebrarum se curant transfigurari. Solent viduæ pullis indui vestibus, non tantum ut testentur marito se commortuas, vel ut significant cœlestis Sponsi insigne se induisse, cui præ ceteris nigredo placet, unde Sponsa: *nigra sum, sed formosa* cant. i. v. 4. sicut enim vaccinia nigra leguntur, ita nigras JESUS præeligit Sponsas, sed ideo potissimum nigrum colorem habent proprium, quia hic color constantior ceteris est, in alium enim colorem transmutari se non patitur. qua de causa Sacerdotes Ægyptii pro nobilissimo optimæ Viduæ symbolo nigram Columbam adstruebant, ut easdem constantiæ in statu viduitatis admonerent.

§. 7.  
Virgines manu ducuntur ab Angelis, Viduæ vero portantur, quo mysterio?

Virginem Virginum MARIAM in supremum gloriæ fastigium à Rege Regum evectam & festivis Hymenæis celebratam describens David, observat gynæceo longè formosissimo eandem cinctam fuisse, non Virginibus modò, sed viduis latera Mariana stipantibus, aut pedissequis supremæ Dominæ vestigia legentibus, quin & illud adnotat Psaltes, singulis seu Virginibus seu viduis Angelum comitem quasi paranympum adstitisse: *adducentur Regi Virgines post eam, proxima ejus afferentur tibi* Ps. 44. v. 15. proximarum nomine intelligi viduas D. Paschasii aliorumque interpretum est sententia, ad Virgines enim proximè accedunt viduæ, nam ut S. Ambrosius lib. de viduit. scripsit: *propemodum non inferioris virtutis est eo abstinere conjugio, quod aliquando delecta verit, quam conjugii oblectamenta nescire, quare & Romani vi-*

*duas virginibus pares habuere, teste Valerio Max. l. 2. c. 1. apud veteres Romanos quæ uno contentæ matrimonio fuerant, coronâ pudicitiaæ honorabantur. quas divinus Sponsus non modò ad cœlestes admittit nuptias, sed proximo cordi loco (virgines videlicet à dextris, à sinistris viduas, ubi cor,) honorificè collocat. proxima ejus afferentur tibi, sed quid sibi vult, quòd virgines dicantur adduci ab Angelis, viduæ autem afferri? an potiori in censu apud DEum viduæ sunt, quàm virgines; cùm hæc manuducantur, ut aulicæ herulæ solent, viduæ verò manibus deportentur, nè fortè ad lapidem offendant pedem suum? an idcirco afferri viduas oportet, quia virginibus infirmiores sunt, istæ enim propriis innixæ pedibus cœlum ingredi possunt, illæ autem viribus sufficientibus destitutæ bajulas requirunt manus, ut ad nuptias priusquam claudatur janua, perveniant? ita omninò se res habet, inquit Paschasius, debiliores sunt viduæ ob tolerata conjugii onera, quàm ut certare robore cum virginibus possent, nec dirigerent pedes suos in viam pacis æternæque salutis, nisi Angeli succurrerent, & ad cœlestes nuptias deportarent. *adducentur virgines, proxima afferentur.* oraculum Paschasianum audiamus: *virgines dicuntur adduci, quia corporis integritate robustiores sunt: viduæ verò afferri, quæ plerumque fracta diversis multisque molestiis, multâ jam corporis imbecillitate fatigantur.* si ergò fatigatæ imbecillitate corporis, nihilominus ad nuptias secundas transeundo fatigari adhuc magis desiderant, nã ego omnibus stultis mulieribus & fatuis virginibus infaniores censuero, libereque vi discursus pronuntiâro indignas videri, quas denuò cœlestes genii in suas attollant manus, at-*



que ad supremas afferant nuptias, quin potius in via cœli destitutas prædonibus inferis in prædam cedere permittant.

§. 8.  
Desipiunt  
quæ secun-  
dò nubunt.

Qui è naufragio vix ereptus mare repetit, ut denuò naufragetur, stultissimo stultior appellatur, quippe qui non sapiat ictus, nec à propriis fiat cautior periculis quandoquidem cavere sibi & sapere debuerat ab alienis, nec ab ea quam fortè evasit vexatione accipiat intellectum. muscipulam nunquam repetet musculus, nec laqueum vulpecula, nec aream passerculus, nec hamum pisciculus, nec locum in quo lapsus est asellus; & vidua in eosdem sese induit laqueos & decipulas, ex quibus maximo cum discrimine vix exierat. *Bruta animalia & vagæ aves in easdem pedicas retiâque non incidunt*, inquit S. Hieronymus ep. ad Furiam. næ ego brutis omnib<sup>9</sup> brutiores dixero, quæ spreto viduitatis honore ad secundas nuptias transire amant, quasi onera conjugii & tribulationes carnis & jurgia thori & mille tædia Hymenæi nondum satis sint expertæ.

§. 9.  
Secundæ  
nuptiæ ca-  
rent bene-  
dictione,  
sicut se-  
cundus  
conditi  
mundi  
dies.

Qui divina sex dierum opera accuratiùs observârunt, mirabile quid de die Secundo adnotant, videlicet hunc solum divinâ carere benedictione. benedixit diei primo non secundo, benedixit septimo non secundo, benedixit diebus ceteris secundo duntaxat excluso, divinisque benedictionibus destituto. cur secundus negligitur, & solenne illud non accipit verbum: *vidit Deus quòd esset bonum?* quomodo secundus appellari poterit, si secundissimâ careat benedictione? respondet Magister sententiarum, quòd secundus faciat numerum, unitatem dividat, discordiâque designet: *sacramentum aliquod hic commendatur, ideo enim fortasse non hoc*

Mag. sent.  
in 2. disti  
24.

dicit: quod tamen in aliis factum est, quia binarius principium est alteritatis, & signum divisionis ab unitate. non accipit dies secundus benedictionem, & benedictionem speret vidua, quæ primo non contenta marito, transit ad secundum? per numerum binarium intelliguntur nuptiæ, inquit Rabanus, quia pluralitatem spectant, per unitatem verò virgines & viduæ, quæ juxta Isidorum ideo dicuntur viduæ, quasi *non duæ*, siquidem alterutro conjugum mortuo fit ex duobus resolutio in unum. quâ unitate siqua vidua gaudere nolit, sed secundam sibi nuptiarum diem creet, miror si sperare possit eam, quam dies secundus in creatione sua non accipit benedictionem. Certè sanctissima Jesu Sponsa Ecclesia Catholica in ritualium volumine prohibet ad secundas nuptias transeuntibus dari benedictionem, & interdicto Sacerdotem subjicit, qui eandem dare præsumserit.

Quod si ex doctissimo Didaco Baëza requiram, cur multæ viduæ ad secundas tantoperè anhelent nuptias, ut aliter vivere sibi non posse videantur? dicet causam à Christo satis supèrque insinuatam esse in responso quod Samaritanæ dedit Joann. 4. v. 17. *bene dixisti: quia non habeo virum, quinque enim viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir. hoc verè dixisti.* clamat vidua: virum non habeo, quia quem conjugii tempore habuerat virum, non erat ejus vir, cum non virum sed quinque viros insaturata bellua habuerit. nimirum conjugalis incontinentia, incontinentiam nunquam non adducit vidualem, ubi vicissim in nuptialis castitas facit viduas continentes. Mirabitur omnis ætas & sexus Juditham feminarum pulcherrimam, viduarum castissimam, amazonum invictissimam,

§. 10.  
Castitas  
conjugalis  
vidualem  
parit Casti-  
tatem.

Baëza  
tom. 2. l. 6.  
c. 3. q. 30.



nam, quæ potens divitiis, ætate florens, feminarum ævi sui pulcherrima sic vidua vixit, ut pro miraculo illius castitas suspiceretur. audet hæc formosissima Heroïna in medium inæstissimorum militum irumpere exercitum, nec vitreo pudicitiae splendori medios inter lenones, interque Principis amores metuere. unde hæc viduæ fortitudo? à lorica & galea, quibus se munierat: *induit se vestibus jucunditatis suæ* c. 10. v. pro lorica & galea vestes pristini connubii assumpsit, quibus vidualem castitatem inter confertissima pericula firmaret. *bene conjugales pugnatura assumpsit ornatus*, inquit S. Ambrosius lib. de vid. *quæ momenta conjugii arma sunt castitatis*. Tantum enim casti connubii temperantia valet, ut pro viduali castitate tutanda sufficiat. Juditham æmulata Galla est, de qua D. Fulgentius ep. 2. c. 7. *ad hoc divina gratia animum tuum conjugali castitate nutrit: ut quæ didiceras illo uno vivente alterum non querere, disceres ab omni viro vidua continere*. erat hæc Galla Symmachi Romani Consulis filia, quæ primo nuptiarum anno orbata marito, cum ad secundas ab omnibus pœnè cogeretur nuptias, dicerentque Medici, nî nuberet propter igneam complexionem barbatam fore, maluit virilis mulier barbam, quam

maritum, digna quam Petrus Apostolus invisens ad æternas nuptias invitaret. continerent se facilius viduæ, si fortassis continentiores conjugii tempore vixissent.

Sed jam contra nupturientes viduas satis dictum, per quæ tamen scrupulum injicere velim nemini, quò minus secundos celebret Hymenæos. nubant per melicet, & tertium septimùmque, imò ut Romana illa mulier, quam vidit & descripsit Hieronymus, vigesimâ tertiâ vice nubant, sed tantum in Domino; ego benedictionem à Domino precari iis possum, impertiri non audeo.

Pro Emblemate turturem in falice colloco, ex qua suspensæ sunt citharæ fidésque, & turturi quidem inscribo: *miscemus gaudia luctu*; falici verò prope aquas provenienti: *medemur amori*. Prope fluentia lacrimarum & dolorum feliciter viduæ proveniunt, noruntque mederi amoribus, quos scilicet sopiunt lacrymis. Flos falicis libidinem sedat, & sterilitatem creat, Viduitatis flos est oratio, & indefessa operatio, quâ fructus continentiae illibati servantur. Gemere cum turture quamvis videatur Vidua, miscentur tamen luctus gaudio, gaudia luctu, beatæ enim quæ lugent, quoniam consolabuntur.

§. II.  
Emblema.



PRO-